

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1752)  
**Heft:** 25

**Artikel:** Electa epistolica ex thesauro epostolico Hottingeriano excerpta  
**Autor:** Buxtorfius, J.  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394715>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 03.02.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

---

ELECTA EPISTOLICA  
 ex Thesauro Epistolico HOTTINGE-  
 RIANO excerpta.

---

Excerpta ex Epistolis JO. BUXTORFII  
 ad JO. JAC. WOLPHIUM.

I.

**D**E *Morino* haecenus ignoravi, illum Apo-  
 statam esse. Habeo ejus *Exercitationes* quo-  
 que, sed non magni facio. *Simeonis de*  
*Muis* alteram refutationem nondum vidi.  
 Cœpit aliquando hanc materiam quoque tractare  
 Pater meus p. m., sed non absolvit. Basil. prid.  
 Cal. Maji. 1635.

A. D. *Sionita* ante octiduum litteras accepi.  
 Ejus de Opere Biblico Parisiensi ejusque pretio  
 hæc sunt verba; Quod autem exposcis de abso-  
 lutione editionis Bibliorum, Deo favente, ad an-  
 num proximum manus ultima accedet. Pretium  
 totius operis quadringentarum ad minus erit li-  
 brarum Turonensium. - - Cæterum de *Morino*,  
 cujus ante hæc meminimus, arbitror, illum præ-  
 ter *Exercitationes* illas in *Pentateuchum Samaritanorum*  
 alium quoque librum edidisse hoc titulo: *Exerci-*  
*tationum Ecclesiasticarum libri duo*. Lutet. Paris. 1626.  
 Sic enim citatum reperio. Eum num tu videris,  
 vel habeas, vel noris, significa. Ego nunquam  
 vidi, sed inquam: Et hunc forte librum refutan-  
 dum

dum sibi sumpsit Theologus ille Anglus *Taylorus*.  
17. Febr. 1636.

II.

**T**ardius respondeo ad ultimas tuas, Amice honorande! ob varia negotia, quibus detentus & distractus fui hactenus. Cupis aliquid iterum scire de Lexici mei & Bibliorum Parisiensium successu. Illius progressuum specimen his adjungo. De Bibliis in dies aliquid novi expecto. Accepi nuper litteras a D. *Simeone de Muis*. Sed ne verbum quidem ille de Bibliis. Cæterum jam pridem procul dubio inaudivisti quoque de D. *Deodati* versione nova Gallica, in qua per plurimos annos desudavit. Forte etiam haud te latet, quæ inter ipsum & ceteros pastores Genevenses ac Gallicos Theologos hoc de negotio sit controversia. Hi enim ipsi editionem illius interdicunt, quantum quidem penes ipsos est; & in Gallia & alibi impedire omnibus modis & machinis nituntur. Ille contra editionem molitur, & ubicunque terrarum potest, eam promovere apud se constituit. Illi prætendunt maxime & inprimis calumnias adversariorum, quibus varietas & discrepantia versionum nostrarum est obnoxia, & scandala infirmorum. Ille ad hæc & alia respondet: Res eo usque procedit, ut acerbè & acriter sat's, & forte utrinque non absque humanis affectibus, causam agant. Nam Genevæ non solum ipsi editio illius versionis est denegata; sed denegata quoque, ut audio, venia illinc discedendi, & alibi imprimendi: ille contra ea in proposito persistit, atque etiam, ut audio, dimissionem petit, officiumque resignavit. Prolixum & invidiosum est negotium. Ego & ab ipso & ab adversariis ipsius

Tom. VII. I litteras

litteras accepi ea de re, sed certis de cauffis nolui ad alterutram partem secedere. Interim apud te non diffiteor, quia mihi tum ex ipsius litteris, tum aliunde constat, quantopere hoc negotium ipsum angat, adeo ut forte tristius aliquid de ipsius persona timendum sit, ut qui & antehac melancholicis affectibus obnoxius fuerit, vellem, ut bono viro gratificari possem, & in ea re laboro. Rationes etiam, quæ in contrarium afferuntur, non ita ponderosæ mihi videntur, ut totalem laboris maximi suppressionem evincere & persuadere possint. Non diffiteor, me in ea esse sententia, semperque fuisse, longe satius fuisse, si pauciores versiones in germanica & latina lingua habuissemus; & melius forte fecissent viri docti, qui hac in re laborarunt, si uni castigandæ & emendandæ potius, quam pluribus novis condendis incubuissent: sed tamen nunquam vidi, si dignum quis hac in re laborem exantlarit, quod editio ejus inhibita fuerit. Fuerunt olim plures versiones græcæ, plurimæ latinæ: præterito seculo adhuc prodierunt *Mynsteri*, *Castalionis*, *Leonis Judæ*, *Pagnini*, *Vatabli*, *Junii* & *Tremellii* & aliorum. In germanica lingua præter *Lutheri* versionem habemus *Piscatoris*. Scio & ipsi disuasum fuisse, novam versionem contexere, & multis Theologis displicuisse: sed opere absoluto nemo se editioni opposuit. Ego quidem de versione *Deodati* nihil certi possum statuere; sed quia in Versione Italica magnam laudem comparavit, inde non male ominari forte licet de Versione quoque Gallica: sed tamen, quid de hac re statuendum sit, adhuc ἐπέχω. Non dubito, quin cum D. *Breitingero*, qui ipsi est amicissimus, etiam hac de re contu-

contulerit. Tu quid de ea re sentias & vestri,  
quæso paucis perscribe. X. Aug. 1636.

III.

**D**E D. *Deodati* negotio scito, illum ante aliquot  
septimanas ad me scripsisse, & me consuluisse,  
an tam Typographiæ, quam Censuræ ratione  
liber posset in hac urbe imprimi? Rationes tum  
suas pro editione libri fuse exposuit, contrarias  
etiam graviter & industrie diluit. Quia vero to-  
tum negotium mihi fuit cognitum, nolui ego me  
ei immiscere, neque etiam in ipsius partes ex  
professo secedere. Amice tamen respondi; me  
quidem existimare, illum Typographum forte hic  
nancisci posse, sed de Censura & approbatione  
me nihil ipsi polliceri audere. Nam cum nostris  
DD. Theologis cognitum ac perspectum sit, quæ-  
nam horum Bibliorum causa inter ipsum & Gal-  
licanas Ecclesias una cum Genevensi sit discepta-  
tio & controversia, me facile posse colligere, ip-  
sos haud facile assensum duros pro libri editio-  
ne, nisi prius lis illa inter ipsos sit sopita & com-  
posita; præsertim cum agatur de ejusmodi opere,  
quod Gallicanas Ecclesias proprie & particulariter  
spectet, & de quo illi soli optime possint judica-  
re; in Bibliis Gallicis censendis nostros, qui lin-  
guæ gallicæ non ita sunt periti, Gallis haud facile  
persuasuros: obtuli tamen illi officia mea. Quam  
primum cæteri Ministri Genevæ hoc intellexerunt,  
illum Basileæ editionem moliri, illi quoque tum  
ad Pastorem gallicum hujus urbis, tum ad me  
scripserunt. Per illum quidem apud nostros Theo-  
logos instando, ne editionem libri permittant;  
apud me sciscitando, quid ille ad me scripserit,

& in quo loco negotium hic versetur. Rescripsi, quod ad rem pertinere judicavi, & ad pacem: indicavi illis, me iudicium meum in hac controversia ipsorum suspendere; D. *Deodatum* privatam ad me epistolam dedisse, quam divulgare & prode non decorum foret: interim scire ipsos debere, nihil adhuc vel ab ipso *Deodato*, vel ab alio, ejus nomine, apud nostros Theologos hic petatum esse, nec forte petatum iri, si tamen id fieret, cordatum illos iudicium exspectare debere; meum autem votum esse, ut hoc negotium posset componi & via reperiri, qua id dirimeretur: hortatus etiam sum, ut de medio cogitent, & studeant laudem unanimatis & concordiae, qua Cœtus ipsorum a multis annis celebratus fuerit, porro conservare, neque locum dent periculosi ac scandalosi ejusmodi schismatis. &c. Hæc ego ad eum, qui mihi scripserat, rescripsi. Auxit apud ipsos suspicionem & malam voluntatem, quod auctor illius libelli super Threnos Jeremiæ huc venerit, & nunc in urbe sit. Ego de medio cogitavi, de quo D. *Deodatum* per studiosum illum monui, quo spero negotium componi posse, nisi affectus utrinque nimium prædominentur: interim D. *Deodato* immota stat hæc sententia, sive consentiant, sive non, Biblia sua edere, ubicunque locum repetire potest: quid de hoc medio autem sentiat, spero me propediem ab ipso intellecturum. Parisiis mihi scribitur, Biblia ad finem properare: decem conficiunt tomos, sine lexicis & grammaticis; hæc nova erunt omnia, & ipsum opus sequentur. De *Simeone de Muis* nihil nunc accepi. 24. Aug. 1636.

## IV.

REvisionis negotium, in quo laboratis, quam sanctum est & arduum, tam difficile & laboris plenum. Unde non mirum, si et vobis occurrant, quæ vos exerceant: annitendum autem, ut in dies, precibus ad Deum pro Spiritus S. lumine impetrando fuis, & assiduis meditationibus, magis magisque in Spiritus S. sensus penetremus. Nullus dubito, quin & hic sanctissimus vester labor hunc fructum sit habiturus. Loca illa ex 2. Sam. 23. capite ex difficilioribus sunt ex libris historicis. . . . Quod Canonicus ille Constantiensis vobis retulit de Janua Latinitatis *Comenii* a D. *Lucio* in linguam græcam, & a me in linguam hebræam translata, aliquid est. Laboravit jam ante annum D. *Lucius* in transferenda Janua Linguarum, olim in Hispania primum Latina & Hispanica a Collegio Hibernico Salmancæ edita, & postea pluribus linguis ab aliis aucta, maxime a D. *Isaaco Harprecto* sex linguis nuper edita; atque ut ego quoque eam in linguam Ebræam transferrem, hortatus est, quod tandem, licet nimium satis in paterno occupatus opere, sum pollicitus, atque bonam partem hæcenus absolvi: urget ille editionem, ac, ni fallor, hac septimana ejus initium fiet. Quæ restant, inter edendum quoque, Deo favente, perficiam. Non est, quod magnum quid inde speres, nam invitus ad istum laborem pertractus sum, & per majoris operis occupationes non licet mihi hæc elaborare. Suum tamen usum forte habebit, & quæ nunc minus commode reddentur, licebit secunda editione expolire & emendare: intra quindecim dies spero te specimen visurum. Ita undique distrahor, ut

nunc ab aliquot septimanis vix mihi respirare liceat: atque hæc est illa Janua, quam nunc quidem edituri sumus. Constituit vero D. *Lucius* etiam *Comenii* januam Latinitatis in græcam linguam translata[m] edere, ubi hæc absoluta fuerit. A. D. *Sionita* persuadeo mihi, me facile impetraturum, de quo scribis: posses mihi proinde scribere, quænam præcipue loca ex interpretatione Arabica & Syriaca describi petas. Ignosce, quod non ita frequenter, ut antehac, & tumultuarie scribo. In causa sunt nimix occupationes, quibus premor, inter quas nunc non minima est illa Janua, quam edere cogor, antequam confecerim. Extemporanea est versio, unde illi ignoscendum.

De loco illo *Genes. XIV* : 18. Hebræi non multa scribunt, quia præter historiam nullum mysterium ibi credunt. *Melchizedecum* scribunt fuisse Regem Hierosolymæ, quæ שלם & צדק vocetur: quis autem fuerit, nihil apud ipsos reperio, nisi quod in *Midraschim* scribunt fuisse *Schemum filium Noæ*, quod etiam indigitat R. *Salomon*. Hinc est quod *Jonathan* in sua versione habet - מלכא דירושלם ומלכא צדיקא הוא שם נר נח  
*Rex Hierosolymarum & Rex justus, qui est Schem filius Noæ* Sic *Targum Hierosolym.* ומלכו צדק  
 מלכא דירושלם הוא שם רבה הוה כהן עילאה  
*Et Melchizedeck Rex Jerusalem, qui est Schem magnus, fuit Sacerdos excelsi.* Sed hæc Allegoria, quæ in eo fundata, quod *Noachus* vocatur איש צדיק *Genes. VI* : 9. Reliqua historice explicant, quod hæc obtulerit Abrahamo, ut ei de victoria impetrata gratularetur, & nobiles ejus fessos reficeret. &c. Optime, elegantissime & e mente Hebræorum expli-



explicavit locum hunc *Mercerus* in suis commentariis, quem consulere poteris. Peculiarem autem de *Melchisedeko* opinionem habet *Petrus Cunnæus* in libro de *Republica Hebræorum*. Is vult *Melchisedekum* non hominem ex homine genitum fuisse, sed diviniõris naturæ, majoremque homine ac digniorem, ut qui tanto Patriarchæ benedixerit. Uno verbo vult, non fuisse Sacerdotem mortalem *typum Christi*, sed *Christum Filium Dei ipsum*; hancque suam sententiam variis argumentis ex epistola ad *Hebræos* confirmat, & ad contrariæ sententiæ argumenta respondet: si placet, poteris adire; si eum non habes, significa, & proxima septimana tibi mittam. De *Commenii Janna* nihil adhuc habeo polliceri, quicquid nunc, quantum poterò, agam, ut majoris momenti opus promoveatur, & aliquando ad finem perducatur. Intellexi, alium esse, qui jam eum laborem adgressus sit; quod si ita sit, valde lætor, quo ego sublever, & tanto speciosius me erga amicos id flagitantes excusare possim. Proximis nundinis, spero, nos *Amstelodamo* habituros *Concordantias Particularum indeclinabilium*, verbi substantivi *היה*, & nominum priorum, eadem forma ac methodo, qua nostræ, ut in unum volumen cum iis compingi possint, opera cujusdam \* *Christiani Rave*, *Berlinatis*, qui his diebus & ea de re ad me scripsit, ac quædam a me scire desideravit, antequam editionem adgrediatur. Simul eadem de re, eodem mense accepi litteras *Rostochio* a *Samuele Boblio*, qui eum laborem quoque in se suscepit, & *Typographum* quærit. Sed puto, alterum hunc præventurum, quia scri-

psit, omnia ad editionem parata esse, & nil, nisi meas litteras expectari. 13. Sept. 1637.

---

Nota. \* *Ravii*, cujus hic *Buxtorfius* mentionem facit, vitam ac fata ample descripsit b. *Mollerus* in *Cimbria Litterata*. P. II. p. 680. - 688. Hæ vero ejus *Concordantiæ* nunquam lucem viderunt. Plures autem illius *Ravii* ad *Hottingerum* nostrum in hoc Thesauro Epistolico continentur litteræ, quas mox *συν Θεω* una cum *Golii*, *Pocockii*, *Warneri* & *Zechendorffii*, speciminis loco, separatim edemus. Possemus nunc hic aliam *Buxtorffii* ad *Wolpbium* de eodem *Genesew* loco, illum contra *Gordonium*, qui eum ad sacrificium *Missæ* detorserat, defendentis inserere epistolam, sed cum ea nimis longa sit, illam in alia *Musæi* nostri particula forte exhibebimus. Dolemus interea, quod nullas *Buxtorffii* a. 1638. ad *Wolffium* datarum epistolarum reperiverimus: quod si illas forte inveniamus, illis lectores nostros non fraudabimus. H. Sch.

---

V.

**D**omini *Gomari* tractatum de *Poësi sacra* nondum accurate expendi, sed obiter tantum percurri. Tradit primo Canones & regulas de Poëtica sacra, de syllabarum quantitate, pedum ratione & carminum generibus: deinde ista in usu & praxi declarat, & exemplis parallelis ex *Pindaro* & *Sophocle* illustrat, non tantum in singularibus versibus, sed & integrorum carminum & capitum factorum analysi poetica. Illustre testimonium huic operi perhibet *Constantinus l'Empereur* in epistola, quam operi adjunxit. Et ipse.

ipsemet fateor, illum multa hic præstitisse: illud videndum, num universalia sint hæc ejus præcepta, & integris libris applicari possint. 3. April. 1693.

Quod studium Linguae Arabicæ aggredieris, bene & laudabiliter facis, nam ob conformitatem cum Lingua Ebræa & Chaldæa studium illud non tantum est jucundum, sed & utile. Video autem idem tibi evenire, quod mihi ante viginti annos accidit, cum vellem ἀπομαθῶς Arabs evadere, ut nempe in primis principiis hæreas, & legendi ratio tibi maximam difficultatem pariat. Optavi tum idem, quod tu nunc optas, ut subsidia ejusmodi haberem, quæ vivi præceptoris vicem supplere possent: sed valde exigua nancisci potui. Habeo Alphabetum Arabicum Romæ excusum in 4., quod talia quædam, ut tu desideras, continet; sed pauca admodum: præter illud non alios fere habeo libros Arabicos, quam eos, qui ab *Erpenio* sunt editi. Pentateuchum habeo Arabicum litteris hebraicis, Constantinopoli excusum ex versione *Saadii Gaonis*, qui tuo voto posset satisfacere, si eundem haberemus litteris Arabicis. Nam Pentateuchus, quem *Erpenius* edidit, alius est auctoris, ut in præfatione monet, neque habet adjuncta puncta. Optaverim etiam, ut facilius & magis perspicue traderentur præcepta hujus linguæ, & si fieri posset, conformarentur ad præcepta Chald. & Syr. parentis mei: Unde pater meus b. m., licet non valde peritus hujus linguæ esset, tum majorem *Erpenii* grammaticam in breve quoddam compendium in meum usum redegit eadem plane methodo, qua usus est in Chald. & Hebr. lingua. In principio statim or-

dinem & numerum litterarum cum hebræa conformavit, & plura alia observavit, quæ cum illis linguis conveniunt, & longe magis perspicue tradi possent, quam ab aliis factum est. 24. April. 1639.

VI.

**Q**UOD in nuperis Tuis de nova Bibliorum Hebraicorum editione a nobis suscipienda monuisti, illud ipsum jam dudum animo meo mecum volvi, & cum amicis quibusdam communicavi; sed diversa mihi suggeruntur consilia. Sunt, qui Textum Hebræum solum excudendum putent, ad formam Bibliorum Venetorum: sunt, qui adjungendam Versionem Latinam putent, sed lateralem, non interlinearem: sunt, qui vernaculam insuper versionem apponi vellent: sed hæc omnia maturioris sunt consilii & deliberationis. Ego hoc anno durante Rectoratu vix aliquid gravius moliri potero: deinde autem, ubi liberior iterum ero, videbo, quidnam potissimum eligam, quo & mea studia, & bonum publicum ulterius promovere queam. 3. Jul. 1639.

VII.

**D**E majoribus Bibliis quoque succedet res: sed per unam vel alteram adhuc septimanam tibi erit expectandum. Causam scribam post octiduum, quia nunc non licet fufe. De linguæ hebrææ præstantia & utilitate multa hinc inde in libris impressis habeo: sed pleraque credo & tu habebis. Habeo *Constantini l'Empereur* orationem inauguralem ea de re. Habeo etiam, ni fallor, alicubi *Erpenii* orationem de isto argumento: sed non videntur mihi, multa singularia habere, quæ  
apud

apud alios non quoque reperiantur: si tamen desideres, mittam ea tibi: Addo hic oratiunculas quasdam manuscriptas Parentis mei, quas ab initio professionis suæ diversis temporibus habuit. Poteris eas percurrere & videre, num forte illic aliquid ad tuum palatum invenias: est in iis una, in qua necessitas Linguae Hebraeæ ex N. T. evincitur, quæ forte non displicebit; illud argumentum vel pluribus, vel aliis etiam, ex Lexico majore & aliunde, petitis argumentis posset eleganter amplificari & diduci. 22. Aug. 1639.

De Bibliorum Hebraicorum editione adornanda, sequenti anno, si Deus vitam & valetudinem concesserit, dispiciemus. Hac hyeme recedentur Epitome Grammaticæ, de Abbreviaturis, & Grammatica Chaldaica ac Syriaca, & duo quidem posteriora aucta haud mediocriter & emendata. Quid ante quatuor circiter annos de Bibliorum trilinguorum editione, & ab eo tempore semel atque iterum a me flagitarit D. *Crocus*, (\*) ex adjuncta epistola videbis, quam cum describere piguerit, in autographo ad te mitto, rogans, ubi legeris, eam mihi mittere, & tuum judicium expo-

---

(\*) Novimus in illustri Academiae Basileensis Bibliotheca aservari Thesaurum epistolicum Buxtorfianum, in quo & hæc *Crocii* epistola sine dubio erit contenta. Hujus ut & plurium aliarum, quarum amici *Hottingeri* nostri subinde mentionem in literis suis faciunt, desiderium nobis votum extorquet, ut quis animum ad illas edendas applicet.

exponere velis. Mihi ad illam editionem plura videntur, neque ita factu, quam dictu facilia requiri. Si dubia quædam habes, quæ velis transmittere, libenter pro otio & ingenio meo, & prompte respondebo. Negotia, quamvis nunc varia habeam, illa tamen non tantum mea studia impediunt & remorantur, quam fastidia multiplicia, quæ alacritatem, in qua præcipuum situm est, mihi adimunt. Tibi autem gratificari semper mihi volupe, tædiosum nunquam. Ne nihil agam, continuo *Versionem Abarbanelis in Danielem*, in qua hac septimana nonum caput absolverem, nisi litteræ Francofurtum scribendæ me avocarent. Paro succisivis & vacivis horis etiam alia de punctorum origine, in qua quæstione tanto magis in sententia pro antiquitate confirmor, quo plura lego. Neque satis mirari possum, D. *Capelli* tractatum tam avide a D. *Erpenio* in lucem editum, & tanto applausu non solum ab illo acceptatum, sed etiamnum a multis accipi, & in tanta æstimatione haberi, cujus fundamenta præque omnia vel sunt falsa, vel probabilia duntaxat, si bene cadunt Jovis taxilli, in multis etiam sibimet repugnantia. Quamprimum ferias Academicas iterum habituri sumus, catalogum illorum contexam. Accedit, quod foetus sit plane immaturus, cum plura adhuc habeantur pro antiquitate punctorum testimonia, & plura etiam haberi possent, si primos Judæorum Grammaticos habere possimus, de quo nec ille, nec alii hæcenus cogitarunt, qui ex Christianorum duntaxat vel *Eliæ* unici, novitatis hac in parte studiosi, libris sua hauriunt, & ex proprio cerebro ac rationis dictamine ea, quæ ex historia & veterum documentis

cumentis sunt decidenda, definire volunt. Nunquam autem publice contra illum vel scribere, vel agere cogito: sed moliar, sententiam alteram confirmare sine hujus vel nominatione, vel infectione. Si ea omnia, quæ in Tractatu illo refutari possent, persequi quis vellet, immensæ molis librum conficere is posset. 28. Aug. 1639.

VIII.

INtellexi מהורי הפרגור ab amico quodam notas D. Heinsii in N. T. vel confiscatas, vel saltem suppressas & prohibitas esse in Belgio, quæ res me valde in admirationem rapit. Suspicio tale quid accidisse ex variis circumstantiis. Nisi enim talis causa subesset, vix puto illum intermissurum fuisse, quin his nundinis ad ultimas meas, cum quibus ipsi simul Lexici exemplar obtuli, aliquid respondisset, ac saltem gratias pro munusculo si non ἀντίδωρον sui operis obtulisset. Si alia negotia ipsum Heinsium impediunt, saltem L'empereur respondisset. Atqui a nullo ne verbum quidem vidi. Si verum est, quod fama ad meas aures detulit, [nullas enim super ea re ego habeo litteras], non puto, illud factum propter heterodoxiam, aut erroneas in religionis fundamentis opiniones, sed quod forte nimium sibi indulserit in N. T. Codice, suis conquestoriis mutationibus, additionibus, detractionibus, transpositionibus, & aliis similibus Criticorum artibus, quæ, licet ne profanis quoque auctoribus quam cum maxima moderatione, hic tamen nonnisi summa cum diligentia sunt adhibendæ. Jam dudum audivi de simultatibus & æmulatione inter ipsum & D. Salmasium; quæ eo usque processit, ut jam in se  
ante

ante absolutum opus *Heinsii* receperit *Salmasius*, plerasque ejus notas refutare: Unde fieri potest, ut vel hinc aliquid durius in *Heinsii* labores sit statutum. 23. Octobr. 1639.

IX.

QUod de opere *Heinsiano* scripsi nuper, habui a quodam Studioſo, cui id Leyda ab alio fuit perſcriptum. Quia vero eum non harum litterarum, ſed Medicinæ Studioſum eſſe intellexi, non plenam ei rei fidem adhibui. Accepi ab eo tempore litteras a D. *L'Empereur*, quæ nihil tale referunt, niſi quod meminit; Exercitationes *Heinſianas* prodiſſe, & ut utiliſſimas, ita a multis deſideratas admodum eſſe: *Salmaſium* autem ſatis irreverenter tantum virum aggreſſum eſſe in Præfatione ad l. 2. de Uſuris, & linguam Helleniſticam evertere conari. Ego, cum nec *Heinſii*, nec *Salmaſii* ſcripta adhuc viderim, nihil pronuntiare poſſum. Licentiam illam nunquam approbare potui, ut in locis dubiis & difficilibus ad mutationem Textus S. & lectionis receptæ confugiamus. Fecerunt id multi etiam in V. T., & aſſerere non erubuerunt, ſi convenientiorem ſenſum reperire poſſimus, nequaquam nos adſtrictos eſſe debere ad puncta, imo etiam ad ipſas literas. Certe hac ratione ipſe *Lutherus* multa loca in *Pſalmis* eſt interpretatus. Si id cuiſvis interpreti licet, ut in iis, quæ dubia ſunt, ad ſuas conjecturas confugiat, quod tandem fuerit fatum textus ſacri? 13. Nov. 1639.

X.

GRatiffima mihi fuit diligens tua conſignatio operum *Pellicani*, in Linguam Latinam ex Hebræo



Hebræo converforum. Miror fane Viri illius labores & diligentiam. Libros Hebræos credo me omnes pene habere, quorum in illo catalogo fit mentio. Accidit illius Bibliothecæ, quod *Mynsteri* in hac urbe, ex qua nonnifi unum duntaxat librum videre & nancifci contigit parenti meo. Et quis fcit, quid noftræ aliquando fit eventurum, fi inopinatus aliquis casus meas cogitationes ante- verterit? Optarim, effe *ἀνὸρτης* illorum *Pellicani* fcriptorum, & ero, fi Deus voluerit, & vitam mihi diutius concefferit. . . De operum *Capelli* editione nil habeo, quod dicam: Arcanum ipfius fi quis Typographus hic velit imprimere, nequaquam advertabor. In controverfia illa ab illo difsentio, neque adhucdum rationibus illius, quæ majori verborum ornatu & copia, quam rationum pondere & momentis funt fuffulta, moveri poffum, ut in ipfius fententiam concedam: interim libenter eum frui patior fuo iudicio; fruar ego meo. De editione illius tractatus Parentis mei olim iudicium fuit, ut premeret, non ut promeret; quod ad ipfummet perfcripferat: poftquam per *Erpenium* deinde fuit editus, nihil quicquam eo motus fuit pater meus, neque etiam propterea illi fuccenfuit. Decreverat ipfe, fuam fententiam accurate in tractatu de hebraica veritate, quem confcribere cœperat, & fufe Hebræorum fundamentis & auctoritatibus ftabilire, ita tamen, ut contra ipfum nequaquam calamum ftingere cogitaverit, vel illius tractatus meminerit. Mors autem præmatura illum tractatum nobis incidit. Habeo fparfim multa in fchedis, quæ aliquando colligam, ubi in tranquilliozem portum Deus meas res perduxerit: nam hæc controverfia  
 late

late admodum se extendit, & hominem otiosum ac a curis liberum requirunt ista, quibus beneficiis ego jam aliquamdiu careo. De Critica *Capelli* nihil possum pronuntiare: memini, per te mihi aliquando folium fuisse transmissum, ex quo tamen de toto opere judicare nequaquam possum. 15. Jan. 1640.

XI.

**A**bbreviaturarum editionem ad finem properare, lætor. De cæteris, quid potissimum tibi suscipiendum sit, suspendere cogor judicium meum. Non dubium est, quin Babyloniam jam publice promissam avidè expectent complures. Florilegium, de quo scribis, quis non legere & versare gestiât? Non minus iteratam Chald. & Syr. Grammat. editionem, ac novis accessionibus auctam Reip. litterariæ jucundam fore, credibile est. Quid vis? Nihil horum operum est, ex quo non & nobis & posteritati maximum emolumentum; tibi autem & ab hoc ævo, & a sera posteritate maxima gloria proposita sit. Ego interea te longum vivere, valere, atque hæc tanta studia feliciter porro juvare cupio. Cæterum de *Golio* quod mentionem facis, mihi vehementer gratum est, idque propter quendam magni ingenii & expectationis juvenem nostratem, quem biennio abhinc Genevam, & paulo post Groningam Frisiorum ablegavimus; Unde cum nuper ad *Altingii* filium Leidæ commorantem litteras dedisset arabicas, is vero sensu non rectè percepto, illas D. *Golio* exhibuisset, mox Vir ille, juvenis quantumvis ignoti amore accensus, eundem ad se humanissime invitat, domum, mensam, Bibliothecam, omnia pollicitus. Hic igitur oblatam oportuni-

portunitatem non negligendam ratus, concessit Leidam, ac superiori septimana novi hospitis humanitatem & benevolentiam mihi per litteras mirifice commendavit. Ita futurum auguror, ut cum Hebr. & Chald. Syriaca quoque & Arabica Studia apud nos & foveri & florere aliquando incipiant. - - *Heucherius* arborem etymologicam linguarum orientalium brevi absolvendam pollicetur, ex qua de toto ejus Lexico judicium ferri poterit. Tiguri 16. Febr. 1640. *Hæc Wolfius ad Buxtorf.*


XII.

**G**Ratulor Scholæ & Ecclesiæ vestræ, quod ejusmodi subinde inter vos excitet ingenia, per quæ Orientalium linguarum studia apud vos foveri & florere, non incipiant, ut tu scribis, sed indefinenter pergant. Nullum est dubium, quin ex litteris juvenis illius vestratis singulare aliquid in eo deprehenderit *Golius*, cujus amore & admiratione plectus illum ad se invitarit. Nullum est dubium, quin, Deo benedicente, dignos apud tantum virum facturus sit progressus, cujus fructus & ad ipsum, & ad totius patriæ ornamentum ac emolumentum cedant. An vero unquam vobis defuerunt harum litterarum periti, ut nunc debeant apud vos florere? Haud triviales olim harum litterarum magistri fuerunt *Leo Judæ*, *Huldericus Zwinglius*, quorum diligentia & eruditione non parum sacrarum litterarum intelligentiæ lucis accessit. Qui vero & quanti in illis Doctores *Theodorus Bibliander*, *Conradus Pellicanus*? Nec hospes omnino in illis fuit *Conradus Gesnerus*, cujus rei sufficiens testimonium vel unicus ejus *Mithridates* exhibet. Et *Casparus Waserus*, cui ille vel

Tom. VII. K doctri-

doctrina, vel nominis celebritate, vel librorum  
 hebraicorum copia Professori in Germania, imo  
 in tota Europa quicquam concessit. De vivis  
 etiamnum verecundia prohibet, quominus in il-  
 lorum commendationem excurram. De te ut ni-  
 hil dicam, constat *Thommannum* plura in recessu  
 habere, quam in fronte præ se ferat. Basil. 25.  
 Febr. 1640.

T A N T U M.



NOVA